



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXIV. Cùm autem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Corollarium. Dux aliquis provincie operas obsequiales, & incertas, quas à rusticis exigere potest, si iter faciat, vel ad venerationem prodeat, non potest vendere nobilibus v. g. vicinis, à quibus ipsi rustici plus, & frequentius vexabuntur, præsertim, cum hæc inter regalia numerentur, quæ vendi prohibita sunt.

CAPITULUM XXIV.

Cum autem.

PARAPHRASIS:

Si Ecclesie Advocatus, sive Patronus (hic enim Advocatus pro Patrono accipitur, sicuti & in c. quia 6. hoc tit.) Clericum idoneum præsentavit, eumque institui postulavit, postea verò, eo non refutato, alium æquè idoneum præsentet, distinguendum debet, num sit Patronus Laicus, an Ecclesiasticus; in Laico Patronatu Episcopi judicio relinquitur, quem ex duobus præferre velit, at verò in Ecclesiastico, si videlicet collegium, vel Ecclesiastica persona Ecclesie jus præsentandi habeat, qui prior est tempore, potior est jure.

SUMMARIUM.

1. Jus Patronatûs aliud Ecclesiasticum est, aliud Laicale.
2. Patronus Laicalis variare potest, si res sit integra, alium & alium præsentando.
3. Debet tamen idoneum præsentare, neque alium recipere potest Episcopus.

Notandum primum. Jus Patronatûs aliud est Ecclesiasticum, & aliud Laicale. Ecclesiasticum est, quod sacro collegio, aut personæ Ecclesiasticæ ratione Ecclesie, aut dignitatis suæ Ecclesiasticæ competit; Laicale verò, quod universitati, aut collegio non sacro, vel personæ private, Clerico, vel Laico competit.

Notandum secundum. Patronus Laicalis variare potest, & postquam idoneum unum præsentavit, si res adhuc integra sit, seu nondum institutio facta, alterum idoneum præsentare; quo in casu utriusque jus, & actio acquiritur indeterminatè, ita, ut unus eorum ab Episcopo instituat: quare non rectè sensit Gloss. hic verbo alium, quòd Patronus præsentans alterum, censetur recedere à primo; non enim recedit, sed alterum cumulat cum primo. ut Ioann And. notat n. 6. Sive ut alijs verbis dicam, variatio fieri potest non privativè, sed cumulativè, & ideò in Episcopi electione est, utrum ex duobus idoneis præsentatis ei gratificando, instituere velit. At verò Ecclesiasticus Patronus variare non potest, sicuti neque eligentes possunt, uti hic Innoc. notavit, quia tales actus nomine & jure Ecclesie quasi ex officio exercent, ideòque cum officio suo semel functi sunt, acquiescere debent argum. c. si tibi 17. de præb. in 6. ubi hoc ipsum traditur de collatione; hæc autem ratio locum non habet in Patrono Laico, quippe qui suo proprio jure præsentat, & ideò Laicus Patronus fortius jus habere censetur.

Notandum tertium. Patronus Clericum; idoneum præsentare debet, & Episcopus alium, seu qui idoneus non est, recipere & instituere nec debet, nec potest. Ita sumitur ex hoc c. & c. ex litteris 7. hoc tit. Trident. sess. 25. c. 9. de reform. ubi agitur, si ad inferiores institutio pertineat (speciali jure) quòd ab Episcopo instituendi examinari debent, alioquin institutio inanis sit. Adde, quòd ex duobus cumulativè præsentatis Episcopus præferre debet, qui magis est idoneus, & ideò locus gratificationi non est, nisi, si duo æquè idonei præsententur, quæ de re dicam in c. Pastoralis 29. hoc tit.

Vide etiam, quæ docui l. 4. tr.

2. 6. 13. n. 40

